



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An si Mulier post mortem viri transeat ad secundas nuptias intra annum luctûs, incurrat infamiam, vel alias pœnis juris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

An si Mulier post mortem viri transeat ad secundas nuptias intra annum luctûs, incurrat infamiam, vel alias pœnas juris.

Quod de jure Canonico mulier, post mortem viri ad secundas nuptias transtiens, intra annum luctûs, nullam incurrat infamiam, ex Apostolo habetur, *Ex c. super illa 4. c. c. Cùm secundum 5.* quidquid sit de legibus civilibus, quæ quoad hanc infamiam correctæ videntur. Inter alias pœnas à jure civili statutas secundò nubentibus, distingui debet utrùm scilicet illæ statutz sint præcisè in odium secundò nubentium intra annum luctûs, vel utrùm decretæ sint in favorem filiorum prioris matrimonij; illæ per jus Canonicum sunt abrogatz, cum enim prohibitio matrimonij intra annum luctûs sit abrogata, consequenter etiam pœnz ei annexæ sunt abolitz, cum sublato principali, cadere etiam censetur accessorium: alia verò, quæ statuta sunt in favorem liberorum prioris matrimonij, & propriè loquendo non dici debent pœnz, neque tantùm cadunt in secundò nubentes intra annum luctûs, sed etiam observari debent circa secundò nubentes post annum luctûs, in utroque foro tam Canonico, quàm Civili, suum robur obtinent, cum per ea favor quidem liberorum attendatur, libertas tamen contrahendi matrimonij non tollatur. Vide Civilistas, vel Sanchezium in suis de matrimonio libris susè de his rebus disputantem.

§. III.

An secunda Nuptia sint benedicenda, & quam pœnam incurrat sacerdos benedicens?

Benedictiones nuptiales à proprio viri vel mulieris contrahentium Parocho, vel ab alio Sacerdote, cum illius licentia fieri debere, & recipi ex præcepto, satis ex Tridentino *Sess. 24. c. 1. de Refor. mat. §. Præterea pater, & ex pluribus juribus antiquorum Decretorum, ac continua praxi & consuetudine Ecclesiæ.* Secundæ tamen nuptiæ non benedicuntur, si uterque benedictionem jam recepit, vel saltem una persona jam prius benedicta, secundas nuptias contrahens. *c. Capellanus 1. c. 6. Vir autem 3. h. 2.* neque enim benedictio nubentium iterari debet, ne fiat prioris Sacramento injuria, & quod indecens sit, ut solemnes benedictiones iterentur. Pœna autem, quam incurrit Sacerdos secundas nuptias benedicens est suspensio ab officio & beneficio, à Judice imponenda, uti desumunt communiter AA. *exc. 1. citat.* vel arbitraria pro loci consuetudine & qualitate delicti, Videtur tamen hac in materia loci attendenda consuetudo, juxta quam tantùm videtur secundarum nuptiarum benedictio prohiberi, quando uterque conjux illam jam accepit in primis nuptiis.